



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. IV. Confutantur aliæ sententiæ, & vera statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

productione ipsius canis. Vel etiam sicut fides & error non opponuntur immediatè respectu hominis absolute; unde potest amittere fidem, absque eo quod labatur in errorem, ut contingit in beatis: opponuntur tamen immediatè respectu hominis semel lapsi in errorem; quare impossibile est hunc hominem amittere errorem, sine infusione fidei, aut alterius luminis, habentis fidei perfectionem. Licet ergo homo, in puris naturalibus constitutus, possit manere absque peccato, & absque gratia; postquam tamen semel lapsus est in peccatum, impossibile est (saltem in statu elevationis ad ordinem supernaturalem) ipsum reparari, & à peccato resurgere, absque infusione gratiæ, ut docet D. Thomas hic art. 2. ad 1. his verbis: *Licet homo antequam peccet, potuerit esse sine gratia, & sine culpa, tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.*

83. Objicies quartò: Deus potest annihilare hominem in peccato existentem, & iterum illum reproducere, non communicando ipsi gratiam habitualement, vel aliud donum supernaturale: Sed in tali casu maneret sine peccato, alias peccatum attribueretur Deo ipsum reproducenti; sicut si Angelus in primo creationis instanti peccaret, peccatum in Deum ut authorem reduceretur, ut docuimus in Tractatu de Angelis: Ergo de absoluta Dei potentia, potest tolli peccatum per solum favorem Dei extrinsecum.

Disp. 12.
art. 5.

84. Respondent aliqui, negando Minorem: existimant enim, quod si homo in peccato existens annihilaretur à Deo, & statim reproduceretur ab ipso, non reproduceretur in statu naturæ puræ, sed in statu peccati: nec propterea (inquiunt) peccatum Deo tribueretur, sed creatæ voluntati; sicut originale peccatum quod contrahitur in instanti creationis animæ, non refertur in Deum, sed in Adamum, cujus voluntate omnes peccavimus.

85. Sed melius & facilius respondetur, nostram conclusionem debere intelligi de homine, dum manet & non corrumpitur (non enim dubitamus, quin possit Deus sine gratia tollere peccatum per accidens, destruendo ipsius subiectum) atque adeò argumentum non militare contra nostram conclusionem, neque etiam favere Adversariis; cum illi velint hominem posse à Deo justificari per solum favorem extrinsecum, secluso quocunque dono intrinseco & supernaturali; annihilatio autem non potest dici favor Dei extrinsecus, cum omnis boni carentiam importet.

86. Objicies quintò contra secundam conclusionem: Potest Deus diligere peccatorem, & pacari illi, absque eo quod ipse peccator intrinsecè mutetur per receptionem alicujus doni supernaturalis: Ergo potest ipsi à Deo remitti offensa, absque intrinseca & supernaturali ipsius mutatione, subindeque per solum favorem extrinsecum, saltem imperfectè & incompletè justificari. Utraque consequentia patet ex dictis in secunda conclusione. Antecedens verò suadetur primò: Quia dilectio Dei, in qua consistit divina pax, non necessitate aliqua, sed omnino liberè concurrens ad productionem gratiæ habitualis, & aliorum donorum supernaturalium: Ergo Deus potest illam habere, sine infusione gratiæ, vel alterius doni supernaturalis, per quod extrinsecè mutetur peccator. Secundo probatur: Quia potest homo liberaliter condonare offensam sibi ab altero

A illatam, & esse pacatus illi, sine productione alicujus entitatis: Ergo à fortiori Deus potest idem præstare.

87. Respondeo negando Antecedens, Ad cujus primam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: libertas enim divinæ dilectionis non potest ab ea tollere quod est de natura ipsius: de ratione autem dilectionis Dei specialis est, reddere hominem objectum sibi congruum, per infusionem donorum supernaturalium, ut supra ex D. Thoma ostendimus; unde licet Deus liberè diligat hominem, supposita tamen ejus dilectione speciali, non potest non producere aliquam formam supernaturalem in ipso.

B Ad secundam, concessio Antecedente, neganda est consequentia, & paritas: nam ut discursu S. Doctor 3. p. quæst. 86. art. 2. in corp. Offensa directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum à gratia sua. ... hoc autem interest inter gratiam Dei & hominis, quod gratia hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eò quod bona voluntas Dei, qua in nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam quæ offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis ejus; non autem contingere potest, quod Deus remittat offensam alicui, absque immutatione voluntatis ejus. Præter hoc discrimen, duo alia supra assignavimus, impugnando primam responsionem, quam Adversarij adhibent probationi secundæ conclusionis.

§. IV.

Consutantur alie sententia, & vera statuitur.

88. Dico tertio: Actus contritionis vel charitatis non potest esse, etiam de absoluta Dei potentia, causa formalis nostræ justificationis, subindeque ad remissionem peccati, etiam in ordine ad potentiam Dei extraordinariam, non sufficiens mutatio supernaturalis, quæ fit per hujusmodi actus, sed insuper requiritur necessariò, in statu naturæ elevatæ, infusio gratiæ habitualis, non verò in statu naturæ puræ.

89. Prima pars probatur contra Authores tertiæ sententiæ: Forma quæ ex sua natura præstare non potest formaliter aliquem effectum, neque per divinam potentiam ipsum formaliter præstare potest: Sed actus contritionis & charitatis non possunt ex natura sua præstare formaliter, sed tantum dispositivè, effectum justificationis impij, sive remissionem peccati, ut art. præcedenti ostendimus contra Vazquem; alias non esset ratio cur de facto illam remissionem dispositivè tantum præstarent, non verò formaliter: Ergo nec de potentia Dei absoluta. Major, in qua solum potest esse difficultas, probatur: nam ut forma, quæ naturaliter præstare non potest formaliter aliquem effectum, id posset de potentia Dei absoluta, necessarium esset quod Deus naturalem illius impotentiam quoad hoc suppleret, vel per seipsum, vel per aliud: Sed Deus, neque per seipsum, neque per aliud, potest talem impotentiam supplere: Ergo forma quæ ex natura sua præstare non potest formaliter aliquem effectum, neque per divinam potentiam ipsum formaliter præstare potest. Major constat: Prima pars Minoris

noris etiam patet: quia cum genus causæ intrinsecæ materialis & formalis, in suo conceptu formali dicant imperfectionem, Deus nequit immediate per seipsum earum vicem supplere. Secunda verò probatur, Quia vel illud aliud quod in proposito superadderetur illi actui contritionis, aut dilectionis, esset ejusdem speciei cum ipso, vel diversæ: Si ejusdem speciei: Ergo & ejusdem virtutis connaturalis, & sic manebit actus contritionis & dilectionis, etiam cum illo addito, impotens ad causandum formaliter effectum, de quo est questio. Si diversæ speciei, jam non ipse actus contritionis & dilectionis erit causa formalis justificationis, sed illa nova forma superaddita. Adde quod, si talem virtutem posset recipere causa formalis, esset propriè & in rigore instrumentum; nam instrumentum formaliter constituitur per hoc quod recipiat virtutem à principali agente, ad causandum effectum, quem ex natura sua, & ex principiis intrinsecis causare non potest: Sed repugnat dari instrumentum in genere causæ formalis, cum illud ad genus causæ efficientis pertineat: Ergo & causam formalem, talem virtutem recipere.

Respondent Adversarij, quod licet actus contritionis, & charitatis, ex se, & ex principiis intrinsecis, sint formæ impossibiles cum peccato mortali habituali, & illud possint expellere, subindeque impium iustificare formaliter, de potentia Dei absoluta; de facto tamen, & de potentia ordinaria, non esse formas remissivas peccatorum, nec causas formales justificationis impium quia est alia forma superior, scilicet gratia habitualis, ex cujus præsentia impeditur effectus formalis horum actuum: tum etiam quia de potentia ordinaria, & de facto, tales actus exercent causalitatem dispositivam, quæ est impossibilis cum causalitate formali.

Sed contra primam rationem hujus solutionis sic arguo: Ex consortio formæ superioris forma inferior non solum non impeditur, sed etiam perficitur, & fit potens ut tribuat subjecto suum effectum formalem perfectiori modo: Ergo si actus contritionis & charitatis sint ex se, & ex natura sua, formæ remissivæ peccati, & causæ formales justificationis, non impediuntur ex conjunctione ad gratiam habitualement, sed potius perficiuntur ad hoc ut talem effectum in genere causæ formalis præstent. Consequentia patet, Antecedens duplici exemplo suadet. Nam gratia unionis, quæ suprema est in ordine gratiæ, non impedit quominus in humanitate Christi simul sit gratia habitualis gratum faciens, & tribuens suum effectum formalem faciendi gratam humanitatem Christi, quamvis gratia habitualis sit inferior, & in infinitum distet in perfectione à gratia unionis. Similiter in naturalibus phantasia & imaginativa in homine non impediuntur ab intellectu, qui est potentia superior, ne eliciant suos actus similes actibus intellectus. Imò gratia habitualis in Christo, & illæ potentiæ sensitivæ in homine, maxime perficiuntur; gratia quidem habitualis, quia recipit ex conjunctione ad gratiam unionis, esse gratiam capitis, & esse infinitam in ratione gratiæ; phantasia etiam & imaginativa in homine, ex conjunctione ad intellectum habent componere, & dividere, ac discurrere circa singularia: Ergo ex consortio formæ superioris, inferior non solum non impeditur, sed etiam perficitur, & fit potens ut tribuat subjecto suum effectum formalem perfectiori modo.

Tom. IV.

A Contra secundam verò rationem, in eadem solutione insinuatam, sic insto. Adversarij contra sententiam Vazquezij, asserentis actus contritionis & charitatis de potentia ordinaria iustificare formaliter, semper inculcant hanc rationem: id quod essentialiter est dispositio ad effectum formalem alicujus formæ, non potest, etiam de potentia absoluta, esse forma ad cujus effectum disponit; sicut quia calor essentialiter est dispositio ad introductionem formæ ignis, & ad ejus effectum formalem, non potest, etiam de potentia & lege extraordinaria, esse forma ignis, aut præstare effectum formæ ignis: hæc autem ratio, vel nihil probat contra Vazquem, vel æquè contra sententiam Adversariorum militat, ut consideranti patebit: Ergo &c.

B Potest insuper probari eadem prima pars asseritionis aliâ ratione, quæ sic potest proponi. Actus contritionis vel charitatis est ex natura sua fluens & transiens: Ergo non potest esse forma iustificans, etiam de potentia absoluta. Probatum Consequentia: De essentia formæ iustificantis & remittentis peccata, est ut permaneat in iustificato, nisi per peccatum mortale auferatur, aut Deus velit eam auferre, suspendendo concursum conservantem: Ergo si actus contritionis vel charitatis sit transiens ex natura sua, & desinat esse absque introductione formæ contrariæ, & absque suspensione concursus conservativi, non poterit, etiam de absoluta potentia, esse forma iustificans permanenter.

C Secunda pars conclusionis, quæ asserit ad justificationem & remissionem peccati requiri necessariò, in statu naturæ elevatæ, infusionem gratiæ habitualis, videtur expressè D. Thomæ, qui hic art. 2. in fine corporis sic concludit: *Et ideo non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ*: quibus verbis uti solet S. Doctor, quando sentit oppositum implicare contradictionem, eò quod quidquid non implicat contradictionem, intelligibile sit: nomine autem gratiæ non intelligit quodcunque donum gratuitum, sed solum gratiam habitualement, ut patet ex verbis præcedentibus, ait enim: *Effectus divine dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, quæ homo fit dignus vitæ æternæ*: Atqui hæc gratia non est alia, quam habitualis, quæ est radix & principium meriti vitæ æternæ: Ergo ex D. Thoma implicat contradictionem quod peccatum remittatur, & homo iustificetur sine infusione gratiæ habitualis. Unde idem S. Doctor quæst. 18. de verit. art. 2. in corp. ait: *Nulla modo remissio peccatorum sine gratia gratum faciente esse potest*. Et in resp. ad 4. dicit gratiam habitualement & peccatum respectu hominis lapsi esse opposita immediate: horum verò oppositorum hæc est natura, quod unum non potest excludi à subjecto respectu cujus opponuntur, sine altero. Denique in hac parte quæst. 109. art. 7. docet peccatum remitti non posse quoad maculam, sine gratia habituali: ubi loquitur de potentia absoluta, ut patet ex ratione quam ibidem insinuat, & quæ secunda pars nostræ conclusionis breviter suaderi potest.

E Peccatum habituale dicit maculam, quæ in privatione gratiæ habitualis consistit, ut in Tractatu de peccatis ostendimus: Sed privatio alicujus formæ non potest tolli, etiam de potentia absoluta, nisi per formam quæ privat; ut patet in morte & cæcitate, quæ non nisi per vitam & visum possunt auferri: Ergo peccatum habituale, etiam de

91.

92.

93.

94.
Disp. 8.
art. 3.

T

potentia absoluta, tolli nequit, nisi per infusionem gratiæ habitualis, nec per consequens homo justificari.

95. Nec valet, si dicas, quod quamvis privatio gratiæ physice sumpta non possit tolli sine infusione gratiæ, tamen moraliter accepta, & quatenus est voluntaria (sub qua tantum ratione habet quod sit culpabilis, & peccatum habituale) tollitur hoc ipso quod per actum contritionis vel charitatis perfecte retractatur à voluntate actus præcedens, à quo habebat quod esset voluntaria. Non valet, inquam, hæc responsio: nam dato quod hoc ita sit, ex hoc tamen non sequitur posse fieri justificationem sine infusione gratiæ habitualis: cum enim actus contritionis & charitatis sint vitales, vitalitate supernaturali perfecti, debent procedere à principio proximo vitali, conjuncto radicali principio vitæ supernaturalis, quod est gratia habitualis, subindeque illam in aliquo priori naturæ in subiecto supponere; ut fusi ostendimus infra, cum discutiemus, an actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement proximè disponunt, ab ipsa effectivè procedant.

96. Tertia denique pars, quæ affirmat quod in statu naturæ puræ remissio peccati, & justificatio hominis fieret sine infusione gratiæ habitualis, mihi certa videtur, quidquid in contrarium sentiant aliqui ex nostris Thomistis. Et probatur primò: Peccatum habituale hominis in statu naturæ puræ constituitur, & ad finem supernaturalem non elevati, non esset privatio gratiæ, aut rectitudinis supernaturalis, sed tantum conversionis in Deum ut finem naturalem: Ergo per huiusmodi conversionem posset tolli, cum privatio tollatur per formam ipsi directè oppositam.

Secundò probatur: Si ad remissionem & expulsionem talis peccati necessaria esset infusio gratiæ habitualis, vel alterius doni entitativè supernaturalis, sequeretur impossibile esse remissionem peccatorum, manente homine in illo statu; cum per infusionem gratiæ habitualis, vel alterius doni supernaturalis, educeretur homo à statu naturæ puræ, & constitueretur in statu gratiæ: Consequens non est admittendum: Ergo &c. Probatur Minor: quia alioquin homo manens in illo statu necessariò esset miser; quippe qui semel lapsus in peccatum, nullum haberet remedium quo posset reparari, & ab illo infelici statu resurgere, subindeque non posset beatitudinem naturalem, ad quam esset ordinatus, consequi: ex quo ulterius sequeretur, statum puræ naturæ esse impossibilem, & divinæ providentiæ repugnantem; cum suavitati divinæ providentiæ repugnet, hominem in aliquo statu condere, vel ponere, in quo necessariò sit miser, & suum ultimum finem ac beatitudinem naturalem consequi non valeat. Unde necessariò dicendum est, quod status naturæ puræ haberet proprium remedium ad sui reparationem, & peccati commissi remissionem, nimirum actum contritionis naturalis de peccato, includens dilectionem Dei super omnia, ut est author naturæ: cum enim peccatum habituale in illo statu solam importaret privationem conformitatis ad legem naturalem, & aversionem à Deo ut fine naturali; ad ipsum destruendum sufficeret actus contritionis, aut dilectionis efficacis Dei ut authoris naturæ, adjuncto favore Dei extrinseco, condonantis rationem offensæ.

97. Nec valet quod aliqui dicunt, nempe quod li-

A cèt homo in puris naturalibus peccans, avertere-
tur solum formaliter & directè à Deo ut ultimo
fine naturali, indirectè tamen & ex consequenti,
etiam à Deo ut ultimo fine supernaturali averte-
retur, tum propter conjunctionem quæ est inter
Deum ut authorem naturalem & supernatura-
lem; tum etiam quia homo peccans mortaliter
in illo statu, constitueret ultimum finem in crea-
tura; creatura autem ut ultimus finis, non solum
opponitur Deo ut ultimo fini naturali, sed etiam
ut ultimo fini supernaturali. Non valet, in-
quam, nam licet supposita elevatione naturæ
humanæ ad ordinem supernaturalem, repugnet
hominem averti per peccatum à Deo ut fine na-
turali, nisi etiam ex consequenti & indirectè à

B Deo ut fine supernaturali avertatur, propter
conjunctionem quæ est inter Deum ut autho-
rem naturalem & supernaturalem: si tamen ho-
mo non sit ordinatus in finem supernaturalem,
nullo modo à Deo ut authore & fine supernatu-
rali averti potest, aversione saltem privativâ,
de qua solum in præsentî agimus, cum talis
aversione necessariò supponat potentiam & obli-
gationem se convertendi in Deum ut authorem
& finem supernaturalem, subindeque ordinatio-
nem seu elevationem naturæ humanæ ad ordi-
nem supernaturalem: At homo in puris natura-
libus peccans, non esset ordinatus in finem su-
pernaturalem; cum status puræ naturæ talem ordi-
nationem excludat: Ergo non averteretur à
Deo ut ultimo fine supernaturali, etiam indire-
ctè & consequenter.

Addo quod, si propter conjunctionem, quæ
est inter Deum ut authorem naturalem & super-
naturalem, homo in statu puræ naturæ peccans,
non posset averti à Deo ut fine naturali, nisi ex
consequenti & indirectè ab ipso etiam ut fine su-
pernaturali averteretur; ob eandem rationem
non posset se convertere in Deum ut authorem
naturæ, per actum efficacem dilectionis natura-
lis, nisi etiam indirectè & ex consequenti in ip-
sum ut authorem supernaturalem se converteret;
& sic actus dilectionis & conversionis in Deum
ut authorem naturæ, esset sufficiens ad tollendam
prædictam aversionem.

§. V.

Solvuntur objectiones.

O b j i c i e s primò contra primam partem con-
clusionis: Si aliquis existens in peccato mor-
tali raperetur ad divinam visionem, absque in-
fusione gratiæ habitualis, solo actu dilectionis,
qui necessariò sequitur visionem beatificam, ju-
stus fieret, & sine peccato maneret; quia esse in
peccato, & esse beatum, implicat contradic-
tionem, cum peccatum sit summa miseria: Ergo
actus dilectionis potest, saltem de absoluta Dei
potentia, esse causa formalis justificationis, seu
remissionis peccati.

Respondeo primò negando suppositum, nem-
pe quod sine habitu gratiæ possit esse beatitu-
do: nam beatitudo est passio gratiæ, & perfe-
ctissimus actus vitalis, procedens à principio
radicali vitæ supernaturalis, quod est gratia,
& ideo sine illa nequit elici, sicut nec intelle-
ctio sine principio radicali vitæ intellectualis;
scilicet anima; & idem dico de dilectione Dei,
quæ etiam est actus perfecte vitalis, vitalitate
supernaturali: unde eo ipso quod Deus homi-
nem in mortali existentem rapere vellet ad